



I. O. Slangendorp

De Peccato Originis.

Hafniæ 1586.














BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS





ORTHODOXA

ASSERTIO THE-

OREMATIS THEOLOGICI DE PECCA-

TO ORIGINIS, SUBSTANTIA NE SIT

an accidens, ex verbo DEI, *demonstrationibus & rationibus, solidè & perspicuè extructa, ac certis Thesibus* κατὰ παιδείας τρόπον *comprehensa, quas* σὺν χριστῷ 14 *Maij, altera sua disputatione defendet.*

JOHANNES OLAI SLANGENDORPIUS TH. D. & Professor in Academia Hafniensi,

AD

MAGNIFICUM VIRUM,

STEMMATIS, VIRTUTE, PRUDEN-

TIA, VERÆ RELIGIONIS STUDIO ILLUSTREM, DN. ARNOLDUM HUITFELDIUM, DN. *de Odersbergh, eruditorum hominum cordatissimum benignissimumq; mecænatem.*

HAFNIÆ,

Impressit Matthias Vinitor, Anno

M. D. LXXXVI.

1256

August:

Diabolus superbus seduxit hominem superbientem ad mortem. Christus humilis reduxit hominem obedientem ad vitam. Quia sicut ille elatus cecidit, & deiecit consentientem, sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentem.



MAGNIFICO ET
GENEROSO VIRO, DN. ARNOLDO HVITFELDIO, DN. DE ODERS-bergh Mecænati & Patrono suo.
S. P. D.

S*Æpe mecum Magnifice & Generose D. AR-*NOLDE, reputare soleo in diurnis his curis, quæ animum meum coquunt & conficiunt, quàm verè diuina ac celebranda benignitate, Deus optimus & clementissimus, ad hanc qualemcunq; verbi sui cognitionem, aliarumq; rerum tenuem gustum me prouexerit. Nam Anno 1576. cùm Scholam & Ecclesiam Sorensem mea opella iuuarem, nescio quis ardor perdiscendi & cognoscendi, quæ apud exteros docentur & geruntur, animum meum incessit, ibi cùm diu fluctuarem, qua ratione eius voti fierem compos, ecce affulsit diuina benignitas, quæ mihi Generositatem T. ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, Sereniss: & præpotenti Regi nostro FREDERICO II. à secretis intimum consiliarium, cuius clementia factum est, vt & cursum institutum ingredi: ita & ingressum ac per multos annos continuatum absoluere liceret. Quare pro hoc & alijs similib: beneficijs, Deo omnipotenti gratias ago, cuius solius nutu ductuq;, tuum mihi Patrocinium erat conciliatum. Deinde & tuo laudatissimo nomini has Theses ideo inscribendas censui, vt extaret pub: testimonium gratitudinis tibi debitæ, qui pietate, propensione & beneuolentia tua, (Concepta aliqua de ingenioli mei tenuitate, spe) toties me Regiæ Maiestati commendaueris, ac effeceris vt eius liberalitate ac clementia, Sacrosanctæ Theologiæ studium, huc vsq; perduxerim, vt iuuentuti & scholis σὺν θεῷ, aliquo modo pro mea tenuitate prodesse possim. Hanc autem quæstionem hoc tempore ideo excutere volui, quòd & ordine sequatur à priore mea disputatione, & quòd ex ignorantia huius doctrinæ de peccato originis, multæ prauæ opiniones & pestilentissimæ hæreses, omnib: seculis exortæ sunt, inter quas monstrosa & blasphema veterum Manichæorum deliramenta, nostro seculo resuscitauit Matthias Flacius illyricus, in disputatione vinariæ in Thu-

ringia, cum Victorino Strigelio habita anno Domini 1560. Cupiens n: vt quidem præseferebat originalis peccati atrocitatem exaggerare, in eas salebras sese conijciebat, vt asseueraret peccatum illud originale, esse ipsam hominis Substantiam. Cuius erroris Socios ac patronos, nactus est Cyriacum Spangenbergium, Christopherum Irenæum, Iohannem Celestinum, Matthiam Sneiderum, Hieronymum Opitium, Christopherum vom Helfand iureconsultum, & paucos alios obscuriores homines. Horum insanas ac putidas calumnias, omissis Ironijs, Sarcasmis & conuitijs, quib: multi hoc seculo bonas pagellas conspurcant ac farciunt potius quàm ornant, solidè & perspicuè è scripturæ sanctæ Myropolio instructissimo, rationib: firmissimis & indemonstrabilibus refuto, ac in gratiam ingeniosæ iuuentutis, veram sententiam in scriptis Propheticis & Apostolicis comprehensam, quæ sola Deo grata & Ecclesiæ eius necessaria ac vtilis est, quoad eius à me fieri potest, ordine & breuiter perstringo. En igitur tibi Generose D. ARNOLDE HVITFELDI, Theologicum θεώρημα, quantitate exiguum, veritatis autem, vsus & pretij summi nomine, κειμηλίοις illis (de quib: non ignoras verè dictum: Scinduntur vestes, gemmæ franguntur & aurum) longissimè anteponendum, quum illud doceat vnde malitia illa sit, quæ causa est & peccatorum & malorum omnium, & immensum esse malum, peccatum originis monstret, quod nulla industria humana potuit mutari aut auerti: deniqȝ quod dextrè ac rotundè discernat, inter ipsam substantiam hominis & malum illud accessor[illegible]ium. Hoc eximiæ tuæ virtutis erit, ea beneuolentia excipere, qua [illegible]tudi[illegible]nea his superiorib: annis, pro heroica tua benignitate complex[illegible]uisti.

Iesus Christus Dominus dominantium faxit, v[illegible] incolumem & florentem gloria & auctoritate patronum, omni obseruantiæ cultu prosequar, sic vt te tam præstantis erga clientem tuum, iudicij & voluntatis, nunquam pæniteat: & ego gratitudinis & obseruantiæ officijs, testari posim agnoscere me, Dei solius benignitate tuaqȝ συνηγορίᾳ, veritatis amorem in via Christi, inoffenso pede pergendo contra fanaticos sophistas, emissarios Sathanæ, docere & profiteri. Ex H[illegible]nsi Academia 14. Maij 1586.

Tuæ Magnificentiæ obseruantissimus.

Iohannes Olai Slangendorpius.

DE PECCATO ORIGINIS THESES.

I.

VT promisi mei pensum ritè persoluam, cùm in priore mea disputatione, de iustificatione hominis peccatoris, ex epistola Pauli ad Rom: instituta: in qua ἀνάλυσιν totius epistolæ vsq; in quintum caput, mediocri diligentia indicaui; atq; recepi me de aliis eiusdem epistolæ grauissimis materiis ordine tractaturum. Placet hac vice obiectum subiecti prioris propositionis, quod est peccatum, quodq; egregiè in 5 capite vers: 12. Paulus describit, explicare & defendere.

II.

Dicam itaq; primum de ἀφορμῇ peccati in genere, eiusq; effecto. Deindè, quia non ita multos ante annos, post repurgatam Euangelii doctrinam, magno cum Ecclesiæ Christi scandalo, in controuersiam venit à Theologis Augustanæ confessionis: an vitium originis sit propriè & sine discrimine, ipsa hominis corrupti *Natura, Substantia & essentia, &c.* an vero inter hominis substantiam, naturam, & essentiam, corpus & animam, & inter peccatum originis aliquod sit discrimen: vt aliud sit ipsa natura, aliud peccatum originis. Flaciani, quorum Coriphæus Flacius erat, contenderunt peccatum originis esse ipsam hominis naturam, substantiam & essentiam: Sed altera pars contrarium asseruit. Nos itaq; vt hæc controuersia piè & syncerè à iunioribus intelligatur, hac vice de vna specie peccati, originali nimirum, vitio, disputabimus; & sententiam Flacianorum solidè & perspicuè refutabimus.

III.

Hoc vt fiat, primum peccati originis definitionem proponam. II. Ἀνασκευὴν præcipuorum aduersæ partis argumentorum instituam. III. Veræ sententiæ de hac controuersia κατασκευὴν extruam, & primum ex verbo Dei. 2. Ex articulis fidei.

fidei. 3. Θεωρία incommodorum quæ ſequuntur ex aduerſariorum ἀντιθέσει. 4. Philoſophicè contra aduerſarios colligam. Atq; vt diuini Spiritus afflatu in hac explicatione dirigamur, poſtulamus à Patre cœleſti, in Ieſu Chriſti domini noſtri nomine, Amen.

IV.

Fons & ἀφορμὴ peccati, Geneſ: 3. perſpicuè indicatur, cùm n. rerum omnium conditor, hominem quem regem animantibus cunctis præfecerat: in Paradiſum: αὐλὴν ἀνδρομένης καὶ ἀνάκτορον εὐρὴ γενέθλης induxiſſet, hac ſibi lege deuinxit, de omni ligno horti edes intrepidè: veruntamen de ligno ſciendi bonum & malum non edes, quo enim die de ipſo ederis, intermorieris.

V.

Hanc legem repentè ſic eſt præuaricatus. Edificauerat ſummus ille artifex, fœminam ex vna ſtertentis Adami coſta, per quam hoſtis & oſor Dei & hominum callidiſsimus Sathan, ſeductionem concinnans ſtatuit adoriri virum, vt eum de ſublimi deturbaret ad ima.

VI.

Ideo quamuis callidam eam crederet, audacemq; ad omnia, recens tamen genitam, vidit adhuc artium rudiuſculam, vnde & verſutus orator nominis ambiguitate miſeram circumuenit.

VII.

Nam cùm Deus vetuiſſet, ne de ligno ſciendi bonum & malum ederent, hoc ſenſu, ne vnquam quicquam ſcire ex ſe tentarent: ſed per cogitationes omnes, deliberationes, atq; conſilia à ſe vno penderent: aliò detorſit nominis rationem huc ſcilicet, vt arbor inde nomen ſciendi bonum atq; malum inuenerit, quod qui ex ea ederit, iam boni maliq; peritiſsimus fiat. Deum quoq; perfidiæ inſimulauit, quod dixiſſet edentibus mortem præſentiſsimam imminere.

Con-

VIII.

Confestim ergo cœpit stulta, Deum in suspicionem vocare, quasi parum candidè vetuisset, lenocinabatur ad hæc, rara ligni species, ciebat appetitum fructus, trahebat boni maliq; sciendi desiderium, ac simul contumax, læta, spebusq; plena magnis, irruit in pomum, simulq; marito persuadet, vt experiatur quò spes istæ exeant, fausta nimirum omnia pollicita.

IX.

Huius fœminæ blandicijs superatus Adam, & pomo ligni vetiti dentem admolitus, oculos confestim recepit, non eos, quos sperauerat, sed quibus malorum omnium turbam, quæ se manebant, vnico aspectu tuebatur, ac protinus concidit.

X.

Fontem ergo peccati, vt principaliter effluxisse ex Diabolo impellente & incitante, docet narratio Mosaica: ita & causam, in Adamo non aliam fuisse accipimus, quàm amorem sui. Admirabatur se Adam, æstimabatq; se non indignum maiore, quàm quod tenebat, in beluas scilicet imperio. Mentem perlustrabat, inueniebatq; plurium, quàm quæ hactenus nosset, capacem. Quare euenit ter quaterq; misero, quod Dominus prædixerat; funditus enim perijt, vltima quæq; meritus, atq; vt Hebræi loquuntur, morte mortuus est.

XI.

Habemus nunc ex scriptura præuaricationis fontem, φιλαυτίαν videlicet, ex qua manauit quicquid vspiam est malorum inter mortales, hic fons τὸ εἶναι peccati perspicuè monstrat.

XII.

Nam ADAM peccati mancipium factus est, legem diuinam transgrediendo: qui enim facit peccatum seruus est peccati.

XIII.

Eadem etiam conditione, nos omnes ex eo nati sumus, vnde fit vt quicquid cogitemus, nostra causa cogitemus, nostris re-

bus

bus consulamus: ac prorsus per omnia sic incedimus, vt omnia nostra esse, nobis seruire: nos autem super omnia esse cupiamus.

XIIII.

Hinc dominus Gen. 6. ver. 3. non digladiabor spiritu meo cum homine perpetuò, est enim caro, caro ergo Dei contemnens ac sui amans est. Ac paulo post, & omnis cogitatio consiliorum cordis humani est vana, & mala per omnem vitam eius. Gen. 8. ver. 21. Non execrabor vltra terram propter hominem, mens enim siue cogitatio humani cordis mala est ab ineunte ætate eius, quæ omnia tendunt ad τὸ ὅτι probationem, quòd natura vitiata sit in nobis, quæ nihil aliud quàm se amando in omnibus peccet: nihil (si eam sibi ipsi relinquat Deus) ingenuum aut liberale cogitet, æquè ac fugitiua mancipia.

XV.

Quemadmodum Adam peccato mortuus, filios degeneres procreasse, neutiquam cogitandus est: non magis quàm quomodo Ouem lupus aut coruus cygnum pariat. Sic enim Gen. 5. scriptum est: Et genuit Adam ad similitudinem suam secundum imaginem suam &c. Sic omnium parentum liberi præstantiore conditione quàm ipse esse non possunt.

XVI.

Ex peccatore ergo peccatores nati sumus omnes, si peccatores, ergo inimici Dei: si inimici: ergo & damnati Psal. 13. ver. 2. Deus de cœlo prospexit, &c. Rom. 5. ver. 12. Quemadmodum per vnum hominem peccatum introijt in mundum & per peccatum mors &c. Rom. 5. ver. 16. iudicium enim inquiens, ex vno peccato scilicet ad condemnationem: gratia verò ex multis peccatis ad iustificationem, &c. atque hoc est effectum peccati.

XVII.

Liquet itaque ex his paucis peccatum propriè accipi aut pro admisso, siue per negligentiam siue per incogitantiam à se, siue

per

per participationem ab alio, quod Græci παράπτωμα ἀπὸ τῦ πταίειν, latini Theologi, delictum à delinquendo, vel negligendo, Hebræi ashem vocant, qualia ferè ista sunt, à quibus neminem perhibet immunem esse Diuus Iohannes, & Christus assiduis precibus expiare iubet, ac dicere: Dimitte nobis debita nostra. Quotidiana enim cùm sint velut assidui stimuli vrgent pium hominem, & ad sui subiectionem & culpæ deprecationem.

XVIII.

Aut pro eo facinore quod quis post maturam deliberationem atque consilium, sciens volensque commisit incurritque, quod Græci ἁμαρτίαν, eò quòd contra conscientiam, (si Origeni credimus) fit: latini autem scelus vocant, crimen aut flagitium. Qua specie latrocinium, homicidium, inusitatam libidinem, & id genus portenta malorum continentur, &c. Sed cum peccatum multiplex sit & variè distingui possit, nos iam de originali peccato, cuius originem modum & potentiam, (pro nostra simplicitate) hactenus ostendimus, disputabimus, quod sic definimus.

XIX.

Peccatum originale quod hebræis dicitur ieczer hara, est morbus quidam & hæreditaria procliuitas ad peccandum, quæ vt mulcta primis parentibus inflicta est: ita ab ijs sic propagatur, vt quicquid inde nascatur ad peccandum propendeat, ac nisi diuina clementia maturè de remedio efficaci prouidisset, perijssent quotquot ex hoc fonte nati fuerunt.

XX.

Dum morbum nomino, non morbum intelligo, ad iurisconsultorum normam: qui eum (teste Gellio) à vitio, hoc interuallo discriminant, quod hic temporarius sit, illud, perpetuum: sed quatenus cum vitio coniunctus est, eoque perpetuò, vt cùm genti translatitium est, balbutire, cæcutire, podagra laborare, quod malum, naturalem defectum solemus appellare.

XXI.

Deinde quòd ſit hæreditaria procliuitas ex Theſi 13. & 14. euadit perſpicuum: ex quibus etiam ſequitur, peccatum originis non tantum priuationem iuſticiæ originalis, ſed corruptionem, deprauationem, lepram & profundiſsimum damnum eſſe in omnibus viribus humanis.

XXII.

Etſi huius mali magnitudinem, nullius hominis animus ſatis capiat: nequaquam tamen id vel diſsimulandum & extenuandum eſt, vel cum ipſa natura & eſſentia hominis, quæ eſt Dei omnipotentis plaſma confundendum: ſed ex verbo Dei dextrè & piè de eo cogitandum & iudicandum.

XXIII.

Nullo itaq; modo probandus eſt error Flacianorum, qui ſtatuunt peccatum originis ſubſtantiam eſſe & contradicentes iniurios eſſe, in benefactorem illum ſuum clamitantes, quod dicere audeant eum duntaxat pro accidente paſſum eſſe. Quare vt à peritis medicis, aconitorum vires & venenorum omnium facultates, ſciuntur & intelliguntur: ita Chriſtiani & pij homines non tantum vera, ſed & falſa dogmata legere ſubindè, & ad fidei normam diligenter ea examinare ac cribrare debent, ne ſpreta veritate, nos huiuſmodi infandis pedicis, execrandus ille tenebrarum Imperator intricet, ad corporis & animæ noſtræ æternam perniciem, quod ne fiat, iam breuiter fundamenta eorum, & putidos errores recitabimus, ac ordine ad præcipuos reſpondebimus.

XXIV.

Primum inquiunt hominem in ſcriptura vocari peccatum, ſed cum is ſubſtantia ſit, negari non poſſe, peccatum quoq; rectè ſubſtantiam, appellari. R. Ad propoſitionem, quòd homo vocetur peccatum, fit κατὰ ἐπίτασιν vel ἔμφασιν: ſicut cum dicimus ſcelus pro ſceleſto, & abſtractum pro concreto. Paralogiſmus

eſt

est παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως, nec sequitur ex Tropologia ad concludendum esse qualitatis in esse substantiæ. Fit n: μετάβασις prædicamentorum, qualitatis nimirum in substantiam.

XXV.

Secundò, conantur suum dogma verbis Christi probare, qui fontem omnium peccatorum faciat cor humanum, ex eo certa consequentia colligere se autumant, peccatum substantiam esse: cum omnes intelligant cor, propria significatione, in numerum substantiarum referendum esse. R. Nulla est connexio antecedentis & consequentis, est igitur paralogismus τοῦ ἑπομένου, non n: sequitur: cor est fons peccatorum: sed cor est substantia, ergo peccatum quoque est substantia. R. Est fallacia accidentis. Nam cor non propriè per se, respectu substantiæ suæ, est fons peccatorum; sed propter aliud, videlicet deprauationem & corruptionem. Ipsum cor hominis & eius natura, essentia ac substantia, dicitur fons omnium peccatorum in homine, non quatenus cor aut natura est, sed quatenus peccato vitiatum est, quod vitium non est aliquid cordis et essentiæ hominis, sed separabile quiddam & accidentarium.

XXVI.

Tertiò, Et hoc addunt, quod maximè in arce suæ probationis facturum iudicant: Imaginem Dei, quæ in primis parentibus fulsit, essentialiter formam fuisse: quare formam Diaboli quæ illi successerit, ipsam quoque substantialem esse: cùm contrariorum eadem ratio esse soleat. R. Hæc παραβολὴ, nihil aliud quàm ridiculum κοκισμὸν crepat, quem ignorationem elenchi vocant Dialectici. Concedimus enim hominem esse secundum imaginem DEI conditum, Sanctum, Purum & Iustum, &c. Sed non propterea est ipsa sanctitas, Integritas, Iusticia, Sapientia. Sanctum, Purum & Iustum esse, item Sanctitatem, Iusticiam & Integritatem ipsam esse, non sunt vnum: Sed res valdè distantes. Nam Sanctitas, Iusticia, &c.

 fue-

fuerunt in anima hominis, tanquam in subiecto, sed non erant ipsa anima aut corpus. Quare absq; humanæ naturæ interitu amitti potuerunt, quemadmodum in accidentium definitione indicatur, non itaq; dicuntur ὡσαύτως.

XXVII.

Quartò, Non minus etiam præsidij in eo ponunt, quòd Sacræ literæ carnis vocabulo peccatum intelligunt. Statuere ergo eos, peccatum originis substantiam esse, cùm nemo vnquam negauerit carnem substantiam dici debere. R. Paralogismum esse fallaciæ, secundum quid ad dictum simpliciter. Nam eis in locis, quos ipsi ad stabiliendam opinionem suam afferunt, non significat simpliciter substantiam: sed κατά τι id est, substantiam vitio originis corruptam. Sic & Augustinus inter carnem & corruptionem, quæ in ea cernitur, distinguit, Paulum dicentem carnem aduersus spiritum concupiscere, non substantiam, sed vitia carnalia accusare. Quare argumenta ex vi huius vocabuli deducta, nexum & neruum amittunt.

XXVIII.

Quintò, Pauli autoritate rursus nituntur, dicentes: Apostolum scripsisse nos transformari domini Spiritu: factam itaq; formæ substantialis Diabolicæ illius quæ in nobis, ante conuersionem hærebat, aliam substantialem μεταμόρφοσιν. R. Est fallacia figuræ dictionis. Nam Paulus loquitur de mutatione & transformatione in melius, id est de qualitatis, non de substantiæ transformatione: quomodo etiam induere nouum hominem, & exuere veterem ab eodem dicimur, quod non est noua substantia corporis & animæ. Paulus n: post conuersionem non habet aliud corpus, aut aliam animam distinctam à priore. sed alios motus, bonam inclinationem mentis, cordis, voluntatis. Argumentum igitur cùm de transformatione Physica loquatur, fiunt quatuor termini.

Sextò,

XXIX.

Sextò, Afferunt etiam Philosophica quædam: accidentia videlicet adesse & abesse sine subiectorum in quibus inhærent, corruptione: cùm autem peccatum originis totum hominem corruperit, in accidentium numero haberi non debere. R. Assumptionis particula TOTVS laborat ὁμωνυμίᾳ. Nam quod concedimus totum hominem corruptum, assumptio simpliciter id accipit, quod substantia ipsa per se ἡ οὐσία corrupta & mala sit, cùm tamen hoc duntaxat κατὰ τὸ ἐνυπάρχειν (vt ita loquar) dicatur: hoc est quod omnes partes hominis, fœditate illa corruptæ, peccatis infectæ sint.

XXX.

7. His affine est, quod de natura dicunt: vnius corruptio est generatio alterius: sed natura humana per peccatum corrupta est. Ergo quoque per peccatum in aliam substantiam mutata, & per consequens priore substantia abolita noua introducta est. R. Est fallacia æquiuocationis maior loquitur de totali destructione, ipsius substantiæ seu essentiæ rei. Minor vero de corruptione accidentali, vbi substantia permanente corruptio rem inuadit. Est igitur ἀσυλλογισία, nam mutatur genus prædicationis.

XXXI.

8. Nec dissimilis argumentatio est, formam esse quæ dat esse rebus. Iam vero iusticiam originalem in primis parentibus fuisse substantialem consequi ergo secundum contrariorum rationes, iniusticiam & malitiam, quæ illam exceperunt, formam hominis substantialem esse. R. ad minorem per inficiationem. Iusticia originalis non fuit essentia aut pars essentialis substantiæ ADÆ, alioquin deperdita illa, sequeretur ipsam essentiam ADAMI deperditam fuisse. Sed iam ex confesso omnium, corruptio accidentalis non tollit substantiam seu essentiam hominis, ἁπλῶς sed secundum quid, id est ratione boni seu qualitatum,

eam corrumpit. Non ergo iusticia originalis in primis parentibus fuit substantialis, sed hæsit in forma substantiali hominis, tanquam accidens in subiecto. Paralogismus igitur est à quid ad simpliciter.

XXXII.

9. Detorquent quoq; ad stabiliendam hanc opinionem quædam August: dicta: Et Lutherum ipsum Patronum causæ suæ producere conantur. Nam dum passim ille peccatum originis, peccatum essentiale item peccatum naturæ vocat, autoritatem eius veluti Clypeum Aiacis nobis obijciunt, existimantes in præsidio illorum testimoniorum exploratam se victoriam habere. Sed in defensione thesium huiusmodi cauillis ita occurri debet, vt non obscurum fiat fallacia diuisionis & compositionis, tam Lutherum quàm Augustinum ab aduersarijs citari crebrò.

XXXIII.

Vltimò cùm nostri Theologi peccatum originis nominant, non modò carentiam iusticiæ originalis, vt Anshelmus locutus est. Sed etiam positiuum quid: videlicet deprauationem corruptionem, & tenebras in intellectu & voluntate &c. Illi positiuæ rei mentione facta, concludunt nostros etiam homines fateri peccatum originis substantiam esse, sed ad hæc inter argumentandum respondebitur.

XXXIIII.

Quanquam & alia plura ad huius dogmatis defensionem ab ipsis adferantur: tamen quæ ex his manifestè ἄτοπα surgunt, luculenter docebunt in his omnibus nihil præsidij esse, quare de industria his omissis. Nos sentimus idem quod omnes pij & sani approbauerunt, peccatum nimirum originis esse accidens & accidentarium malum. Itaq; cùm hactenus de ἀφορμῆ peccati, diximus in genere, tum etiam de definitione ac aduersariorũ ἀνασκευῆ: reliquum est vt nunc nostræ assertionis κατασκευὴν iuxta ordinem institutum proponamus.

Etsi

XXXV.

Etſi ſacra ſcriptura peccatum originis valde amplificet & exaggeret: tamen vbiq; & ſemper huiuſmodi vocibus vtitur, quæ perſpicuè diſtinguunt inter ipſam ſubſtantiam & corruptam naturam: & inter originis illud malum & ipſam corruptionem.

XXXVI.

Eiuſmodi voces in hebræa lingua ſunt. AVON, PESCHA, RASCHA, CHATAACH, FEHL: in græca ἀδικία, ἀνομία, παράβασις, ἁμαρτία παράπτωμα, πονηρία, κακία &c.

XXXVII.

His ſpiritus ſanctus in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis vtitur, quoties de peccato agit, quæ nullo modo eò flecti poſſunt, vt ſignificent ipſam eſſentiam aut ſubſtantiam hominis: ſed de deſtructione & defectu humanæ naturæ explicari debent, de quibus manifeſtè concionantur, ſicut patet Eſai. 30. ver. 2. item 38. ver. 17. Ierem. 33. ver. 8. Micheæ 7. ver. 19. 1. Ioh. 1. ver. 7. &c.

XXXVIII.

Septimum quoq; caput Epiſtolæ Paulinæ ad Rom. totum ferè eò tendit, vt doceat originis peccatum non eſſe ipſam eſſentiam hominis, ſed potius accidentarium malum & horribilem deprauationem, ſic inquit ver. 5. Cum enim eſſemus in carne, paſsiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in nobis &c. Dicit, paſsiones peccatorum efficaces fuiſſe in membris noſtris: vnde rectè colligitur peccatum originis non eſſe ipſam eſſentiam hominis: verum huiuſmodi malum quod efficax eſt in noſtris membris.

XXXIX.

Sic & alia infinita teſtimonia, ex eodem Apoſtolo peti poſſunt, vt ibidem ver. 17. nunc autem iam non ego operor illud, ſed

quod

quod habitat in me peccatum, vbi manifeſtè diſcernit inter eſſentiam hominis & originis peccatum, & nominat SE tanquam SVBIECTVM: Peccatum verò vt accidens inhabitans. Ergo aliud eſt Paulus cum ſua eſſentia, carne & anima, & aliud malum illud inhabitans, ac profundiſsimè ipſum vexans.

XL.

Sic & apud eundem, non eſt in carne mea bonum: & rurſus, reperio quod mihi malum παράκειται: & iterum, ne regnet peccatum in mortali corpore veſtro, vt obediatis illi per cupiditates eius. Vt alia omittamus infinita teſtimonia. Rom. 6. ver. 12. Prouerb. 22. ver. 25. Rom. 8. ver. 3. Eph. 4. ver. 22. Hiob 12. ver. 23. Ierem. 17. ver. 1. Quis igitur non videt cùm Paulum tum reliquos, dicere hoc malum INESSE: nemo ergo negabit eſſe accidens.

XLI.

Probauimus ex verbo Dei peccatum originis non eſſe ſubſtantiam, nunc verò demonſtrationes infallibiles, ex articulis fidei noſtræ deſumptas addemus, quæ concludunt ἀναντιῤῥήτως & apodictice.

XLII.

Primum itaq; ex articulo creationis colligimus bona conſequentia. Opus & creatura Dei, ab opere Diaboli maximè diſtingui debet. Sed primus articulus fidei noſtræ ita diſtinguit inter hæc duo, vt humanam naturam non modò ante lapſum à Deo creatam eſſe doceat: verumetiam eandem poſt lapſum eſſe Dei opus & creaturam tradat. Hiob. 10. ver. 8. manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me. Pſal. 139. ver. 5. Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Eccleſ. 12. ver. 7. reuertetur puluis in terram ſuam &c. Originale vero peccatum non eſſe opus aut creaturam Dei, ſed Diaboli. Ergo maxima eſt differentia inter naturam ſeu ſubſtantiam corporis atq; animæ no-

ſtræ:

ſtræ: quæ per peccatum originis corruptæ ſunt, & inter ipſum peccatum originale, & per conſequens peccatum originis non eſt ipſa hominis ſubſtantia.

XLIII.

Secundò. Ex articulo incarnationis. Quicquid Chriſtus aſſumpſit in incarnatione ſua, non eſt ipſum peccatum. Sed naturam noſtram aſſumpſit Chriſtus. Ergo natura noſtra non eſt ipſum peccatum. Minor probatur Heb: 2. ver. 7. vt nobis fratribus per omnia ſimilis fieret &c. Naturam ergo quæ (excepto peccato) eiuſdem generis ſpeciei & ſubſtantiæ cum noſtra eſt, aſſumpſit: iam ſi nullum eſſet diſcrimen inter hominis corrupti naturam ſeu ſubſtantiam, & inter peccatum originis, ſequeretur aut Chriſtum naturam noſtram non aſſumpſiſſe: cùm certum ſit, quod peccatum non aſſumpſerit: aut Chriſtum aſſumpſiſſe etiam peccatum, cùm omnino conſtet, quòd naturam noſtram aſſumpſerit, ſed vtrumq; horum eſt abſurdum, manifeſtum eſt ergo quod natura humana etiam poſt lapſum, & peccatum originis, non ſint vnum & idem, & per conſequens, peccatum originis non eſt ſubſtantia.

XLIIII.

Tertiò. Ex articulo ſanctificationis. Res abluenda, mundanda, ac ſanctificanda, & ipſum ſubiectum, quod eſt τὸ δεκτικὸν eius inhærentis immundiciei non ſunt vnum & idem. Sed natura noſtra à peccato abluitur, mundatur & ſanctificatur. Ergo natura noſtra non eſt ipſum originis peccatum.

XLV.

Quarto. Ex articulo reſurrectionis. Quicquid ſacra ſcriptura de reſurrectione carnis perſpicuè docet, hoc eſt firmiter credendum. Sed ſacra ſcriptura de reſurrectione docet, quòd huius noſtræ carnis quam circumferimus ſubſtantia (ſed tamen à peccato mundata) ſit reſurrectura, & quòd in vita æterna, eam

ipsam animam (sed peccato non contaminatam) recepturi, & in omnem æternitatem retenturi simus. Iam si nulla prorsus esset differentia inter corpus & animam nostram corruptam & inter peccatum originis: consequeretur aut videlicet, hanc carnem in nouissimo die non resurrecturam, & nos in altero illo seculo, non has corporis & animæ substantias, sed aliam substantiam siue aliam animam habituros, cùm constet nos tum ab omni peccato fore mundos. Aut quòd etiam peccatum in nouissimo die sit resurrecturum, & in vita illa æterna in electis mansurum, sed hoc est falsum. Non igitur peccatum originis est ipsa substantia.

XLVI.

Probauimus ex Symbolo Apostolico assertionem nostram, iam verò ne tam peruersæ opinionis Labyrinthi & cuniculi, qui ab aduersarijs magna vafricie struuntur, incauto lectori imponant, attentius, accuratiusq́ considerabimus ad hæc, alia incommoda, in quæ illi dum falsum & virulentum suum dogma, hiberis nænijs & ἀφλογίαις farciunt, impingant.

XLVII.

Primùm. Dum fingunt contra scripturam, Gen. 1. & 2. item Eph. 4. imaginem Dei & naturam humanam, sine vlla distinctione fuisse vnum & idem, extra oleas feruntur, faciunt enim essentiam Dei communicabilem creaturis, quod est absurdum & impossibile. Nam essentia diuina saltem communicabilis est tribus Personis diuinitatis, incommunicabilis autem omni creaturæ.

XLVIII.

Secundò. Dum ad easdem calumnias confirmandas assuunt, Adamum per lapsum substantialiter seu essentialiter immutatum esse, & quod habeat essentialiter aliam naturam, quæ est ALTERIVS SPECIEI, distinctam ab ea, quam ante

lapsum

lapſum habuit, putida calumnia eſt. Nam Adami ſubſtantia eſt IN aut PER lapſum non ſubſtantialiter in aliam ſubſtantiam transformata: Sed quæ prius ſancta & integra erat, iam corrupta, impura & contaminata eſt, manens nihilominus eadem in ſubſtantia ſua, in accidentibus vero vitiata.

XLIX.

Tertiò. Sic & eodem φενακισμῷ veluti præſtigijs quibuſdam, legentium oculis imponunt, aſſerentes contra ſcripturam, legem, naturam noſtram ſic accuſare, vt peccatum originis ſit ipſa eſſentia hominis, quod, non aliter verum eſt, quàm δὶς διὰ πασῶν: hoc eſt maximè diſſentaneum eſt. Nam ſcriptura perſpicuè docet legem arguere hominem, vt reuelet ipſi peccatum originis, cum omnibus fructibus ſuis. Rom. 1. ver. 18. Reuelatur de cœlo &c. Rom. 3. ver. 20. Per legem fit cognitio peccati. Vnde Lutherus contra Latomum, Tomo. 2. fol. 402. Lex aliter non tractat peccatum, quàm vt ipſum reuelet.

L.

Quartò. Vt ſuum Manichæiſmum in eccleſiam inuehant, ſimiliter impoſsibilia captant: docentes Deum non peccatorem ſed ipſum peccatum in gratiam recipere. Hoc vt abſurdum eſt, & ab omni ratione alienum: ita apud intelligentes nullam meretur fidem, cùm tales nugas et gerras, infinita ſcripturarum teſtimonia euertant & profundiſsimè proſternant.

LI.

Quintò. Extenuant non ſolum articulum creationis ſed ipſum Diabolum cum Deo efficiunt creatorem. Si enim ipſa corrupta natura eſt peccatum originis, ſine vlla diſtinctione. Neceſſe eſt alterũ horum duorũ ſequi, nimirum aut Deum autorẽ et creatorem peccati, quandoquidem corruptam naturam, quæ iuxta eorũ hypotheſin eſt ipſum peccatum, ſuſtentet & creet; aut ſi hoc non

consentaneum erit, cùm hæc corrupta natura sine creatore esse nequeat, efficiunt vt ipsius Creator sit Diabolus. Horum alterum necessarium erit, modo nostræ sententiæ aliquid derogare, aut decerpere velint, hoc enim superius est demonstratum.

LII.

Sextò. Penitus tollunt consolationem illam, quam nos miseri peccatores ex humana natura Christi concipere debemus dum tradunt, quòd Christi assumpta natura & nostra natura non vnius sint substantiæ, sed substantialiter distinctæ. Etenim quòd Christus non assumpsit, hoc quoque non redemit. Verùm si sanguinem & carnem nostram non assumpsit, sed talem carnem quæ substantialiter à nostra carne distincta est, sequitur quòd nostram carnem non redemerit. Sed hoc falsum est, ergo etiam ex quo colligitur.

LIII.

Septimò. Quòd fingant Christum ipsum originis peccatum & non hominem morte & sanguine suo liberasse, reti ventos venantur. Nam sacra scriptura perspicuè ostendit, non ipsum peccatum, sed nos homines sanguine & morte Christi, ab omnibus peccatis redemptos. Rom. 3. 4. 5. Gal. 1. Matth. 1. item Thess. 1.

LIIII.

Octauò. In eosdem absurdorum gurgites sese præcipitant, articulum sanctificationis mendacij arguere conantes, dum contra scripturam effutiunt, quòd ipsum peccatum originis, baptizetur, sanctificetur, regeneretur & saluetur. Nam scriptura reclamat & affirmat NOS baptizari in remissionem peccatorum, nullo autem modo originis peccatum. Ioh. 3. Matth. 28. Marc. 16. Act. 2.

LV.

Nonò. Eadem mentis cæcitate, euertunt quoque articulum

iusti-

iustificationis, cùm perfidè obganniunt, ipsum originis peccatum iustificari & in gratiam recipi, cùm Rom. 3. ver. 24. Paulus doceat nos homines iustificari gratis, non autem peccatum, vbi emphaticè NOS inquit: Sic & Rom. 5. ver. 9. per ipsum seruamur ab ira Dei, &c.

LVI.

Vltimò, Eadem calumniandi libido, eos quoq; eò abripit, vt non tantum superiora defendant, sed etiam contra verbum Dei manifestè digladientur, declamitantes, quòd regeneratio significet essentialem mutationem naturæ nostræ in aliam substantiam alterius speciei, aut à priore distinctam, quòd ne vno quidem testimonio probare possunt. Quomodo etiam veritatis repagula perfringunt, dicentes: Peccatum originis substantialiter in resurrectione in ipsam iusticiam renouandum, atq; ita consequenter vitam æternam obtenturum, quæ omnia non tam absurda quàm manifesta mendacia sunt, articulis fidei & sacræ scripturæ contraria.

LVII.

Ostendimus ex verbo Dei, articulis fidei, absurdis ac falsis sequelis, peccatum originis nullo modo esse substantiam, sed nunc coronidis vice, vt aduersarios in casses inducamus, & veritas suum sibi locum inueniat. Philosophicè idem manifestum faciam, in hunc quidem modum.

LVIII.

Substantia est ens per sese subsistens, alio neutiquam indigens vt sit. Peccatum originis non est ens per se subsistens, alio neutiquam indigens vt sit. Ergo peccatum non est substantia.

LIX.

Nulla harum propositionum syllogismi indiget probatione, quia sunt manifestæ. Maior est definitio ab omnibus concessa, minor est plana. Non enim peccatum originis est per se, sed in

asso inhærens vitium, quod similiter negari non potest. Cui ergo non conuenit definitio, eidem nec definitum.

LX.

Accidens est quod adest vel abest præter subiecti corruptionem. Ex hac definitione sic arguo. Quicquid potest adesse vel abesse præter subiecti corruptionem, illud est accidens. Peccatum potest adesse vel abesse præter subiecti corruptionem. Ergo est accidens. Minor est vera, non enim loquitur de corruptione qua subiectum planè aboletur, quod est homo, sed de horribili deformatione naturæ.

LXI.

Si origenis peccatum non est accidens in homine, sed substantia aut ipsa corrupta natura, immediatè sequitur vt vel sit corpus, vel anima, vel ad minimum quædam animæ particula; sed corpus esse non potest, nam Rom. 6. scribitur, quod dominetur in corpore vestro, & plura testimonia supra adduximus. Nec anima, quia anima est Spiritus viuens & intelligens, à Deo ipso conditus ante lapsum, quod nullo modo competit peccato originis. Neq; etiam particula animæ esse poterit, quia anima non discerpitur in frusta. Sequitur ergo quòd sit res accidentalis & distincta à natura.

LXII.

Hinc rectè inferimus, peccatum originis nulla ratione esse formam essentialem hominis, per quam ab alijs speciebus discernitur. Nam ratione formæ, homo est homo, & constituit vnum τὸ δέ τι. Sed illa forma, corpus esse non potest, neq; etiam anima, repugnat enim animæ definitio, ad hæc neq; eius potentiæ, stante enim hac hypothesi, sequeretur peccatum originis prius existere quàm potentiæ, quæ sunt vnà cum anima, & prius insuper quàm ADAM peccauit, quod est absurdum, non igitur peccatum est forma essentialis hominis, & per consequens nullo modo substantia.

Neq;

LXIII.

Neq̃ peccatum originis proprium hominis eſſe poteſt, cùm non tantum hæreat in hominibus,ſed etiam in impuris ſpiritibus: Deinde cùm propriè proprium,ſpeciei naturam & indiuiduorum conſequatur,homo vero ad hoc non ſit conditus vt peccaret,non poteſt peccatum proprium eſſe hominis.

LXIIII.

Neq̃ differentia hominis eſſe poteſt, per quam ab omnibus alijs creaturis propriè differat. Nam vera differentia eſt aliquid, perficiens & conſtituens rem differentem, id eſt, ſine qua conſiſtere non poteſt,iam autem certum eſt,quòd peccatum hominem non conſtituat, alioquin ſequeretur, Adamum ante lapſum non verum hominem fuiſſe,neq̃ etiam ipſum Chriſtum,qui peccatum non nouit:nec beati in cœleſti vita, poſſunt eſſe veri homines,cùm iam omnibus peccatis exempti ſint. Hoc autem cùm abſurdum ſit, peccatum originis, non eſſe differentiam, aut quiddam conſtituens hominem, qui non videt tyreſia cæcior eſt.

LXV.

Vt itaq̃ tandem concludamus aſſertionem noſtram, cùm peccatum originis non ſit ſubſtantia, corpus aut pars corporis, anima aut particula animæ vel potentia, proprium aut differentia: ex verbo Dei cum orthodoxis omnibus, doctrinam Chriſti syncerè profitentibus, credimus & aſſerimus eſſe accidens quoddam, & poſt creatam naturam ac ſubſtantiam hominis,aduenticium malum,horribiliter deſtruens & damnans naturam noſtram,niſi, interueniente medicina, per mortem Chriſti nobis acquiſita.

